

Similiter B. *Æ. Hunnius* in Comment. ad h. l. verba hæc vertit, *hostiam rationalem*; B. *Balduinus* Comment. ad h. l. Qu. I. & II. p. m. 220. inquit: *viva & rationalis victima nihil est aliud, quam homo ipse, qui se totum Deo offert, quando pietati operam dat.* Lud. de Dieu, citante Polo in Synops. Critic. ad h. l. itidem λαρείαν poni existimat pro θυσία idq; ex more LXX. Interpret. & peculiariter huc refert locum Job. XVI. 2. ubi Jesus discipulis suis prædicit, futurum esse, ut quisquis eosdem interfecerit, putaverit se eo ipso λαρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ: putatque hoc idem esse, ac si dixisset Jesus, προσφέρειν θυσίαν, offerre sacrificium aut victimam sacrificialem.

§ 8. Alii tamen posterius eligunt, atque ipse *Lutherus* noster eò respexisse videtur, quando vertit: *welches (τὸ ᾧ ἑσῆσαι τὰ σώματα &c. das jenige/ daß ihr eure Leiber begeben zum Opfer) sey euer vernünftiger Gottesdienst.* Habet autem præeuntem *Chrysostomum*, qui Serm. XX. in Epist. ad Rom. ubi ad verba illa defertur, *Quid est, ait, rationalis cultus? Spiritua- lis servitus, ratio vivendi juxta Christum instituta.* Cui, quod aliàs solet, subscribit *Theophylactus*, & consentiunt recentio- res plerique: quemadmodum ex mox dicendis patebit.

§. 9. Sanè λαρείαν vi vocis *servitium* denotare, negari non potest, & mox ostendetur clarius. Quando autem ad ea, quæ Deo, ut supremo omnium Domino, ab hominibus religio- sè præstantur, v. g. sacrificia, designanda transfertur, fatendum est, actus ipsos potius, quam objecta eorum, seu res, quæ cer- to actu tractantur, significari solere: nisi quod *per metony- miam* adjuncti pro subjecto nonnunquam fit, ut nomina actum denotantia pro re aut subjecto quod tractant, accipiantur: prout *laus* pro re, quæ laudatur; *spes*, pro re speratâ; *pro- missio*, pro re promissa usurpatur: qualia exempla videri pos- sunt apud *Glasf.* Rhet. S. Tract. I. Cap. IV. Sect. V. p. 67. (Edit. Se- cundæ p. 1092.) Quod si itaq; h. l. tropus amplectendus non est,